





3. DISSERTATIO HISTORICA  
QUA  
**DE SILVERIO**  
ET  
**VIGILIO PP. MM.**  
ET POTISSIMVM  
ILLIVS IN HVNC LATO ANATHEMATE  
NARRATIONES QVASDAM BARONII

Oder  
**Von denen Päbsten Silverio und  
Vigilio, insonderheit von jenes Bann-Fluch  
wider diesen.**

IN ACADEMIA WITTEBERGENSI  
DIE SEPTEMBRIS A. G. R. M D C C XXXIX  
H. L. Q. C.  
EXAMINANDAS PROPOVNNT  
**M. GOTTLIEB VVERNSDORFFIUS**  
WITTEBERGENSIS  
ET  
**IOANNES GVILIELMVS BORSAM**  
SERVESTA ANHALT.

WITTEBERGAE  
IN OFFICINA TZSCHIEDRICHIANA EXCVSA.

1044.

1045.



Eminem sane, leviter duntaxat historiae ecclesiasticae nō<sup>a</sup>  
titia tinctum, fugere potest, quam saepe, quam misere,  
quam turpiter iudicio pariter ac fide lapsus sit celebrer-  
imus ille annalium conditor, CAESAR BARONIVS.  
Namque cum omnia solum ad dignitatem aulae Ro-  
manae reuocaret, interdum etiam nimis credulus, nulo  
auctorum habito delectu, libris fraude suppositis fi-  
dem adhiberet, ac simul in causis coniecturalibus inge-  
nio, parum felici, nimium indulgeret; fieri non poterat, quin historiarum ve-  
ritatem, saepissime labefactam, misere corrumperet. Cuius quidem rei illud  
documentum damus, quod, in vita pontificum, *Siluerii ac Vigilii*, exponendis,  
epistolarum quarundam, a Pseudifido confitarum, remere fecutus fidem,  
commentus est concilium a Siluero habitum, in eoque sententiam execrationis  
contra Vigilium pronunciatam. Qua de re, quantum propter paginarum an-  
guifian, legibus nostris constitutam, licebit, disserere instituemus, si antea pau-  
ca de rebus a Siluero Vigilioque gestis breuiter praefati fuerimus, ut ex his  
melius, quae postea dicentur, et intelligi possint et diiudicari.

§. I. SILVERIUS, ortu Romanus, post Agapeti mortem, fauore in-  
primis Theodahati, Gothorum regis, multo aere corrupti, 1) mense Iunio  
anno 536 2) Romanus episcopus eligeretur. Iis temporibus Iustinianus im-  
perator bellum, aduersus Goths in Italia suscepit, per legatos, maxime Be-  
lisarium administrabat, qui, pacata utraque Sicilia, Romanum cum exercitu pe-  
tens, eam statim a fenatu, ciuibusque Romanis, oratione Siluerii permotis,  
3) in deditioinem accepit, mense decembri eiusdem anni. Paulo post Viti-  
ges, Theodahato interempto, rerum Gothicarum ponitus, spe urbis recuperan-

A 2 dae

1) ANASTASIVS Biblioth. in Eatis Pontificum §. 59, in scriptoribus Italicis Muratorii To-  
mo III. p. 129 hoc affirmit, sed negat BARONIVS annalium anno 516. §. 123. p. 392.  
et NATALIS ALEXANDER historiae eccl. Sec VI cap. 2. art. 8. p. 377, qui merito id propter vapulant IAC. BASNAGIO bistor. eccl. Tom. I. libro VII ch. VIII §. 8.  
p. 384. etc.

2) Ex sententia VICTORIS TUNVNENSIS contigit hoc anno imperii Iustiniani XV,  
Basilio Cos, quod multo secus est, ut ostendit PAGI criticae Barontianae Tom. II p.  
559 §. 16, ex MARCELLINI COMITIS chronicō, qui indictionem XIV post conflu-  
latum Belisarii ponit, i. e. anno Christi DXXVI.

3) Teste PROCOPIO belli Gothicī lib. I, c. 14 et EVAGRIO bistor. eccl. lib. IV, c. 19.

dae Belisarium obsedit, diuque renuit obsecsum. 4) Quae dum in Italia geruntur, Theodora Augusta, Eutychianorum partibus dedita, 5) Belisario in mandatis dat, ut Siluerium nomine suo obestaretur, velit Anthraum nouae Romae antistitem, sed propter Eutychianas opiniones et ambitus crimen ab Agapeto, Siluerii decessore, olim sede sua deiectum, in communionem sacrorum recipere, ac sedi restituere Constantiopolitanae. 6) Cum vero Siluerius id se facturum negasset, Theodora eius amouendi consilium cum Vigilio coepit. Hic enim ecclesiae Romanae diaconus, eiusdemque legatus, apud imperatorem Cpoli tum morabatur, et iam dudum episcopalis dignitatis cupiditate trahebatur. 7) Huic igitur regina Romanum episcopatum cum magno auri pondere pollicetur, ex lege atque omni, ut Papa factus, Anthrum ceterosque Eutychianos, ab orthodoxis dudum notatos, resacraret, et orthodoxos declararet, synodumque Chalcedonensem, (ac simul, si credimus Veteri, tria capitula,) damnaret. 8) Vigilius lubens accipit conditionem, fide que sua et chirographo dato, se ita facturum, pollicetur. Igitur spei plenus,

cum

- 4) MARCELLINVS indit. XV, iterum posse Consulatum Belisarii, ANASTASIVS supra p. 129; PROCOPIVS supra, PAVLVS DIACONVS historiae miscellae libro XVI, in Muratori Tom I p. 106. et IORNANDES historiae Gothicæ in Muratori cap. LX p. 221, et in libro de regnum successione ibidem p. 241. alii.

- 5) Theodoram Eutychianis studuisse nemo temere negauerit, qui ANASTASIVM, PROCOPIVM in avendōtōc, LIBERATVM DIAC. VICTOREM, aliquos evoluerit, negat tamen illustris IO. PETR. DE LVDEVVIG in Vita Iustiniani Cap. VII §. 11. p. 162, immoderum laudum Theodorae praeco. Is enim Agapetum grauissime accusat, quod Cpoli arroganter erigit, atque id unice voluerit, ut omnes Graeci in credendo a iudicio suo penderent, quod iniuste condemnauerit Anthrum, si non prorsus Chalcedonensem, tamen ab illis formulis non alienum prorsus. Theodoram, pergit, nunquam conuictam fuisse aut Nestorianismi aut Eutychianismi, sed fuisse potius irenicam, tolerasse dissidentes, ac maluisse pacem et tolerantiam, quam cruciatum et martyria, a quibus Iustinianum, ab clericis impulsum, retinuerit omni studio. Illud scilicet eam noluisse, ut imperaret conscientia, quod tamen voluerint conciliares, i.e. sequaces formulae Chalcedonensis, praesertim cum disensus esset in formulae Theologiae de Christi naturis distinguendis et explicandis, ubi etiam Christi cultoribus piissimis et integerrimis, inter tot saebras verborum ac sensuum aliquid accidere possit humano. Haec tenus adlocutus Theodorae.

- 6) Ita tradit ANASTASIVS supra p. 130. et LIBERATVS in breuiario cap. XXII in Lab. bei conciliorum Tom. V. p. 775.

- 7) ANASTASIVS §. 156. p. 127. et PSEUDOSILVERIVS in Epistola ad Vigilium.

- 8) ANASTASIVS p. 130. et VICTOR in Chronico et LIBERATVS supra p. 775.

cum litteris, ab Augusta ad Belisarium datis, in Italianam transmitit. Quo cum venit, litteras tradit, eique simul 2000 aureorum dono offert, siquidem is efficeret, ut pulso Siluerio, ipse crearetur episcopus. In epistola vero regina scripsérat in hanc sententiam, ut Siluerium, siue iusta de causa, siue propter fidem crimen ab episcopatu remoueret, atque in exilium mitteret, in eius autem locum surrogari curaret Vigilium. 9) Idem etiam ad Antoniam Belisarii coniugem, sibi admodum familiarem, regina scripsérat. Haec igitur non solum statim proditionis crimen aduersus Siluerium fingit, sed testes falsos subornat, qui epistolam nomine Siluerii ad Vitigem scriptam, quasque interceptram producerent, qua inuitaretur, ut Romam ad portam Asinariam accederet, eamque ab Siluerio aperiendam occuparet. 10) Quo facto episcopus apud Belisarium accusatur: qui, quamvis testibus illis non creditit, (si Anastasio et Paulo diac. fidem habemus) iussi tamen Augustae satisfaciendum esse putauit. Itaque reo, ad causam apud se dicendam arcessito, proditionem exprobavit, ornatusque sacerdotali confessim exutum, Pataram, quae Lyciae urbs est, in exilium deportari iubet. Altera continuo die ordini sacerdotum Romanorum significat, Siluerium, propter maiestatem laesam, honore priuatum esse, adeoque alium episcopum eligendum, sed rationem Vigilii habendam.

## A 3

## §. II.

9) ANASTASIVS et PAVLVS DIACONVS *supra* p. 107.

10) Sic rem commemorat ANASTASIVS et LIBERATVS, ut Siluerius insensus fuisse credi posset. Contrario alii eum ab omni suspicione proditionis non plane liberum pronuntiant. Certe MARCELLINV, *Vitiges*, inquit, *tyrannus exercitu aggregata Romam obficit, cui tunc fauentum papam Siluerium Belisarius ab episcopatu summovit, eiusque loco Vigilium diac. ordinavit*. Consentit PROCOPIVS, scrip-  
tor illis temporibus aequalis de B. Gothicō lib. I. c. 25. Τποψίας δέ ἐσι Σιλβέριος τῆς πόλεως ἀρχιερεία γεγενημένης, ὡς δὲ πρεδοτίαν ἐξ Γότθων πρωτεύειν, αὐτὸν μὲν ἐπὶ τὴν Ἐλασσα ἐπειψήνειν αὐτίκα. Ἐτεγον δέ αρχιερέα ὀλιγοῦσερον, Βιγιλιον ὄνομα, κατεστησατο. Suspicionis fundamentum non de-  
cerat, cum Siluerius ope Gothorum ad eam dignitatem prouectus esset, forsan etiam,  
quod paterno nomine Hormisdas prodi videtur, ex stirpe Gothicā generatus. Eam  
tamen a se amolitus erat, cum Romanis tradendae Belisarius urbis auctor fuerat.  
IO. EICHELIVS tamen in *præfatione ad avendota* §. 46. et illustris LVDVVIG  
*supra* p. 162. et §. 96. p. 432. fidem habere malum MARCELLINO, quam ANASTA-  
SIO, quem hic putat partium studiis fuisse corruptum. Verum ego nescio, quarum-  
nam partium, cum is a Theodorae temporibus multum abut. Neque enim PRO-  
COPIVS, quem autem nos potissimum probare debemus, contraria ANASTA-  
SIO scribit, cum dubitanter solum dicat, *suspicionem fuisse*, veram an falsam nota-  
indicer.

§. II. Hinc *VIGILIUS* suffragii quorundam presbyterorum, in partes suas tractorum, electus, sellam episcopalem occupat, mense Novembri anni 537. 11) non tamen aucturum promissio satisfacit, sed quasi dubius haerens, neque imperatori orthodoxam fidei professionem, quod moris erat,mittit, nec cum Eutychianis aperte se iungit. Interea episcopus urbis Patrae ad imperatorem accedit, ac de iniuria praesuli Romano illata quefus, poenam diuinam interminatur, ni justitiae consularuntur. Imperator vero id, se inscio, factum esse professus, 12) quippe quod solius Theodorae artibus tribuendum erat, Siluerium in Italiam reduci iubet, ac de litteris, nomine eius scriptis, diligenter inquiri, ut si maleficii convinceretur, in alia quaque urbe 13) episcopus fieret, iudicium vero sententis absoltus, sedi Romanae restitueretur. Itaque Siluerius, licet stomachante Pelago, Vigilius legato, iussu Caesariis in Italiam reuertitur. Cuius aduentu et imminentis periculi cogitatione perterrefactus, Vigilius, Belisarium orat, sibi ut hostem suum tradat, alioqui promissis stare se non posse. Accipit igitur Siluerium, eum vinclum in insulas Pontias, 14) seu ut Liberatus vult, in Palmariam mittit, additis custodibus, ubi is, haud ita multo post iniuria carceris ac tenuitate vietus mense Iunio anni 538. 15) diem obiit. Recentiorum quidam (†) tra-

11) Ita ANTONIVS PAGI p. 560. §. 7, et p. 562. §. 6. ac FLEVRT *histoire eccl. libre XIII. ch. 57. p. 357.*

12) Haud difficulter hoc credimus Iustiniano, cum constet, Theodoram multa clam eo fuisse molitam. Eleganter id exprimit ZONARAS *Annalium Tom. II. lib. XIV.* "Αρξαντος δε Ιωσημανη, υπει εις μοναχιαν η βασιλεια καζειη, αδη εις διπλαιν το υερος μεμερισο ρολει γιας ηττων Τοιοντος, ει μη ηγη μαλλαν, η καινωνος αυτω το Βιβια δεδυντο.

13) BARONIVS anno 537. §. 13. p. 404. quidem putat, eum ipsius Romanae sedis episcopum permanere, sed in alia urbe vivere debuisse ex decreto imperatoris, sed LIBERATI verba altera se habent, unde recte DV PIN *Bibliothèque des auteurs eccl. Tom. V. p. 69.* et FLEVRT *supra p. 357: dans quelque autre ville.*

14) Infulae Romae urbi finitimae, colonia olim Romanorum, et exilio illustrium nobilitatae, utpote Neronis Germanici, fororum Caii Caesaris, Flaviae Domitillae, aliorumque. Vid. CLVVERII *Italia antiqua lib. IV. c. 7. p. 105.* ALBERTVS autem Stadenfis in *Chronico* incepit nominat Pontum; cum monachus ille forsan memoriam Ouidii libertus celebraverit, quam S. Siluerii.

15) Morti huius papae BARONIVS et NAT. ALEXANDER p. 377. assignant annum 540. rectius vero accuratissimum temporum ratiocinator PAGI *supra p. 568. §. 3.* et FLEVRT *supra annum 538. et mensem Iunium.*

(†) BVCELINVS in *Menologio Bened.* die XII. *Cal. Iun. p. 440.* et item in *Sacrarario Benedict.* P. I. p. 37. anno 540. Videatur EGGSIVS in *Pontificio docto* p. 97.

tradunt, ut priusquam pontificatum adipisceretur, discipulus fuerit S. Benedicti in monasterio Laterranensi, ita et postea in exilio Pontiano monachum egisse, a Belisario ueste monachica induitum, quam ipsemet pridem expetitam lumen suscepit. Cuius quidem rei fides sit penes auctorem. Vigilius autem viuo adhuc hoste, ut desiderio Augustae suisque promissis satisfaceret, epistolam ad Theodosium, Anthimum, Seuerum aliquosque haereticos mittit, qua eandem cum ipsis fidem se amplecti declarat, sed simul petit, ut hanc epistolam celarent. Non tamen prohibere potuit, quo minus eandem Liberatus <sup>16)</sup> et Victor <sup>17)</sup> libris suis insererent. Utur enim Baronius <sup>18)</sup> eiusque p[re]stacu[us] Binius <sup>19)</sup> eam falso suppositam esse opinentur, eruditiores tamen <sup>20)</sup> quin germana sit, dubitandum non esse ducunt. Per mortem postea Siluerii periculo liberatus, parum Theodora aut amicitiam curauit aut iram, sed anno 540. epistolam ad Iustinianum, aliamque ad Mennam Cpolitanum dedit, qua fidem orthodoxam professus, omnes haereticos exsecratus est. Sequentibus temporibus mox ad auram aulae se compositu[us] totum, mox vero in rebus fidei suam opinionem fecutus, illam nihil fecit, ita, ut eius vita fuisse videatur continens series inconstantis leuitatis. Quae vero posthac gesit, ad propositum nostrum parum faciunt, quare iis commemorandis supercedemus.

§. III. Non tamen hoc loco praeterendum est Baronii, peringeniosi hominis commentum. <sup>21)</sup> Hic enim cum selectioribus suis <sup>22)</sup> narrat, Vigilium post mortem demum Siluerii, noua accedente sacerdotum electione, legitimum episcopum factum esse, et continuo mores ac vitam in melius mutasse, ita ut qui antea ad malum vigilaret, nunc ceperit pro universo grege agere vigil excubias. Atque hoc ioculari plane probandi modo ex verbis Anastasi: et cessavit episcopatus eius dies quinque, cum aliis destitueretur argumentis, cogere tentat. Scilicet cum episcopatus Siluerii, post eius mortem, dies V. cessauerit, nulla, ait, alia ratione id posse intelligi, quam ut Vigilius, de morte illius et miraculis ad monumentum eius contingentibus, certior factus, conscientiis maleficiorum suorum stimulatus, ac metu execrationis, aduer-

<sup>16)</sup> Breuiarii p.776. <sup>17)</sup> Ad annum II. post consul. Basillii. <sup>18)</sup> Anno 537. §. 15. p.405.

<sup>19)</sup> Notis ad Liberatum p.779. <sup>20)</sup> ANTONIVS PAGI §. 7. p.562. BELLAR-

MINVS lib. IV. de Pontifice Rom. Cap. Ic. §. 20. NAT. ALEXANDER Sec. V. c. 3. §. 3.

p. 98. et BASNAGE supra p.386. qui argumentis Baronii satis occurunt. <sup>21)</sup> Anno

540. §. 4. p. 438. <sup>22)</sup> MAIMBOVRG dans le traité historique de l'Eglise de Rome

ch. VII. p.64. BINIVS Tom.V. Concil. p.289. EGGS supra p.93.

adversus se ab Siluerio pronuntiatae, examinatus, iam sponte se pontificatu, huic dum iniuste occupato, abdicavit, et post V. dies rursus a sacerdotibus electoribus, more institutoque maiorum, ad pristinam dignitatem legitime eius fuit. Verbose hic exponit, quae Vigilius mente secum reputauerit, quomodo de throno papali descenderit, ut id non fecerit ex animo, sed tanquam representaturus in scena comoediam, ut quoquo modo de sua electione cleri Romani consensum eliceret, quem se adepturum, Belisarri potentia nixus confidebat. Refert denique 23) qua ratione ceperint cardinales in conclavi consilium de novo episcopo creando, quomodo inter eos, ultra citroque disputatum fuerit, usque dum Vigilius IV. Kal Junii diuinitus inspirato consilio electus sit. Plane tum in conclavi ipsum Baronium praesentem fuisse putes, et suffragio suo Vigilium iuuisse, adeoque una comoediam in scena representasse. At enim vero, merito quaeri potest, ecquo tandem auctore edoctus sit Baronius, episcopatum Siluerii post mortem eius cessasse? Nam ex eo, quod Anastasius verba ista post mortem Siluerii iam enarratam collocat, nequitiam id colligere licet, multo minus totam narrationem et conjecturarum struem deducere: quandoquidem idem auctor post mortem illius recitata memorem commemorat, Siluerium episcopos ac presbyteros quosdam sacris muneribus inaugurasse. Ista igitur concludendi ratione, Siluerius post mortem suam episcopos cessasse dicendus foret; quod forsitan ad reliqua miracula, apud eius sepulcrum facta, referendum esset. Tantum vero abest, ut historicus aliquis de hac resipiscientia ac voluntaria abdicatione Vigilius quicquam memoriae prodiderit, ut Liberatus 24) plane diuersum affirmet, cum eum dicit, scribentem occulte haereticis sedentem permanisse. Etenim, ut id faceret Vigilius, non videretur necessarium fuisse, cum ei causae in speciem non decessent, ob quas Siluerii sacerdotium illegitimum fuisse sibi persuadere potuisset. Is enim per vim se obrusserat Romanis, horumque consensus, non plene liber, sed meru videbatur extortus. Neque propter execrationem, a Siluerio sancitam, opus habuisset, ut a sacerdotibus denuo eligeretur. Is enim a magistratu pulsus, nullam amplius habebat potestate, munia Eumolpidarum obeundi, quae Vigilio metuenda fuisse. Imperator enim et habuit et exercuit ius in sacra corumque antistites: quod illo imprimito facto declaravit, quo antistiti Carthaginensi priuilegia primatus, metropolitana, papalia, aliaque concessit. 25) Quodsi autem Siluerii maledictio contra illum vere valuit, tum non ordinis sacerdotum renouata electio sufficit ad eum refacrandum, sed vel alias pon-

23) BARO supra §. 7. p. 439. 24) Supra p. 776. 25) Vid. LVDVVIG supra p. 74.  
p. 361.

pontificis vel concilii auctoritate opus fuit. 26) Ponamus enim cum Baronio,  
 27) Vigilium , viuo Siluerio, non vicarium fuisse Christi, sed antichristum,  
 non Simonem Petrum , sed magum , et idolum in templo collocatum, tum  
 certe mirifica transubstantiatio fingenda fore, si quidem noua electio ex ma-  
 go Petrum , ex homicida prophetam , ex sterili arundine firmam stabilemque  
 fecisset petram. Igitur, hoc proposito, facile exploditur Baronii fabula et  
 exsilbatur non minus ab aliis, quam ab ipsis eius fidei sociis. 28) Anastasius  
 vero non loquitur de vacuitate sedis, quae post Siluerii obitum contige-  
 rit, sed quae accedit a die XVIII. Novembr. 527, ut Pagi calculos ducit, quo  
 is episcopatu depellebatur, ac finitur die XXII. Nouembr. quo Vigilius con-  
 scrabatur. Praefuit igitur Siluerius ecclesiae Romanae annum unum, quin-  
 que menses et XI. dies, facta a primo dignitatis die, ad illud usque tempus,  
 quo eandem amisit, computatione. Quae quidem, si Baronii iudicis stare-  
 mus, 29) absurdē admodum fieret, cum hic eum opinetur usque ad id tem-  
 pus, quo martyrium in exilio passus est, legitimū permanisse pontificem , ac  
 pontificia semper exercuisse; tamen ita non Anastasius solum ei Cedrenus, sed e  
 recentioribus doctissimi quique numerant. 30) Baronius vero, itemque Bi-  
 nius , qui fide, ut est in fabulis, implicita et carbonaria illius in verba iurat,  
 opinatur Siluerium sedisse annos quatuor et quintum inchoasse , calculos du-  
 cens ab anni 536. mense decembri , quo eum electum tradit, ad anni 540.  
 mensem Maium, quo mortuum esse ponit: ubi tamen coecus, coecum du-  
 cem secutus, sine dubio labitur, cum eo modo tres solum anni et quinque  
 menses computentur, (†) non quaruor, et quod excurrit, anni.

§. IV. His praefutis, atque ad declarandum historiae nexum praemissis,  
 ipsam rem, de qua potissimum nobis proposuimus agere, aggrediantur. Ba-  
 ronius, eumque secuti, 31) perhibent, Siluerium in exilio suo, mens: lu-  
 nio

B

26) Videatur *Ius canonicum, editionis DV PELETTIER, decretorum P. II. causa 26, qu. 6.*  
*p. 354.* 27) Supra p. 430. §. 4. p. 439. et 440. 28) Nimurum NAT. ALEX. §. 9.  
*p. 377.* PAGI p. 563. §. 4. DV PIN p. 69. et item a BASNAGIO ch.VIII §. 9. p. 385  
 qui inter alia sic iudicat: *Tous ce récits imaginaire ne peut passer, qu'à l'ombre du  
 grand nom de Baronius;* et p. 386. nominat fabulam hanc *le Roman de Baronius mal  
 concerté.* 29) Anno 540. § 3. p. 427. 30) CEDRENVS edit. Parisiensis regiae Tom. I.  
*p. 371.* Ἐπεις Χρόνον ίσα. MARTINVS POLONVS, ALBERTVS STADENSIS in  
*Chronicis,* PAGI p. 568. Nescio autem quid in mentem veneris GEORGIO SYN-  
 CELLO Chronographiae edit. Parisiensi. p. 412. et NICEPHORO patriarchae Cpol. in  
*Chronographia apud Scaligerum in eb/tauro temporis p.312.* qui Siluerio XVIII annos  
 ascribunt. (†) Tot etiam numerat GEORG. IOSEPHVS ab EGGS in *pontificio do-*  
*cto p. 97.* quamvis eadem initia eodem fines imperio Siluerii ponat. 31) BARO  
*anno 539. §. 1. seqq. p. 430.* SPONDANVS, MAIMBOVRG supra p. 64. BINIVS p.  
 290.

nio anni 539. cum episcopis quibusdam, qui ipsum salutandi causa conuenient, concilium habuisse, in eoque Vigiliū, throni sui praedatorem ac dīreptorem, diris deuouisse, eiusque deuotionis, quo testior esset memoria, exemplum, litterarum monumentis consignatum et a quatuor episcopis Italī subscriptum ipsi Vigilio transmisissē. Isidorus etiam mercator ipsam epistolam in collectione decretalium exhibet, unde Baronius et conciliorum editores in opera sua transtulerunt. Nos vero hanc historiam, tanquam fabulam iure meritoque reiciendam esse arbitramur, quippe quea nullo ullius historici testimonio approbari potest, sed tantum epistolis Isidori commentitiis nititur. Non sane omnes historiarum conditores, quorum multos aetas illa tulit, rem memoria dignissimam prorsus omisissent, si, quea Baronius tradit, vera essent. Epistola autem Pseudosiluerii tanti non est, ut nobis eius rei fidem facere possit. Constat enim inter omnes, integrum epistolarum decretalium collectionem ab uno auctore confitam esse, qui eam, quasi ab S. Isidoro Hispalensi collectam et ab Isidoro mercatore quadam exule ex Hispania in Germaniam allatam, seculo denum octavo in apertum protulit, ut inuictissime ostendit David Blondellus 32) et ipse Baronius 33) fatetur. Edita statim summo cum gaudio aulae Romanae excipiebatur, propterea quod nihil tam egregie maiestatem et totatum pontificis iam affectatum confirmare posse videbatur, quam harum epistolarum auctoritas. 34) Hinc continuo inter canones ecclesiae summum locum obtinebant, et quamvis episcopi Galliani item ideo mouerent, quod eas antiquis morum regulis contrarias esse intelligebant, vincebat tamen fortuna populi Romani, 35) ita ut in Constantiensi concilio Io. Wiclefus cum propter alia, tum maxime propter contumaciam earundem damnaretur. 36) Post tempora vero sacrorum a Lutherō repurgatorum, cum mundus resipiscere inciperet, nemo fere amplius tam credulus ac simplex fuit, ut eis fidem haberet, 37) praeter Turrianum et Aguirrium, qui pro epistolis, male natis, ut verbose ita infeliciter pro-

pu-

290.seq. In quorum gratiam idem affuerunt multi e protestantibus, ut CAVEVS H. E. L. p. 335. Ante hos tamen omnes iam ALBERTVS STADENSIS ista fabula chro- nicon suum exornauit.

32) In Prolegomenis ad Pseudosidorum et Turianum & apulantem. 33) Annalium anno 865. §. 5. et in notis ad martyrologium Romanum IV. Aprilis. 34) Sic Mr. DE FLEVRT in dissertatione illa, plane diuina, quam Tomo XVI historiae eccl. praemisit, eruditissime probat, omnes corruptelas disciplinae et morum veteris ecclie, summannaque pontificis Romani dominationem his epistolis Isidorianae referri debere acceptas. 35) Videatur BLONDELLVS supra, BALVZIUS praefatione ad Regionem §. 3. FABRICIVS Ba- liost. Graec. lib. VI. cap. I. p. 14. 36) Vid. GERHARDI Confessio Catholica lib. I. P. II. c. 8. p. 35. 37) ELEVRT Histor. Eccl. Tom. IX. liv. XLIV. ch. 23.

pugnant. 38) Ex hac igitur collectione etiam deprompta est epistola illa fulminatrix a Siluerio ad Vigilium data, qua Isidorus mercator, qui nihil praeter fumum vendit, Baronio imposuit. Quae cum dico, satis iam falsitatem eius probo. Sed praeter id interna quoque constructio fraudem arguit. Certe deplorata stili barbaries magis temporibus Mercatoris quam Siluerii conuenire viderur, quippe quae tam eximia et exemplaris est, ut existimem, Nicod. Frischlinum supplementa ad suam Priscianum vapulantem inde conscribere potuisse. Eadem epistola singitur scripta esse principe Basilio, VIII. Kal. Iulii. Atqui temporibus Siluerii nullus princeps aut consul Basilius fuit, sed annus DXXXIX Apione solo Cos. signatur. Unde ipse Baronius hanc falsam noram consularem iudicat esse interpolatam. Porro multis laborat mendaciis, turpiter confictis. Quid enim hoc sibi vult: *qui tam tribus iugiter emensis temporibus praefideo?* num tribus forsan annis Siluerius fuit Papa, quem uno tantum anno fuisse ostendimus? Quam impudens est calumnia, et pontifice, falli nescio, indigna: *Vigilium cruentis humano sanguine manibus, decessoribus Siluerii peruicacia obripiuentem, contra iura canonica temporibus Bonifacii Papae, ipso viuente, successorem eius designari conatum fuisse, nisi ipsi amplissimi senatus obuiasset iustitia.* Quis unquam Vigilium dixit cruentis humano sanguine manibus episcopatum ambiisse? Non tamen dubium mihi est, quin Mercator resperxit ad alia facta Vigilii crudelia, quando is *in furorem versus*, ut loquitur Anastasius 39) parum sane reuerenter pro tanti viri dignitate, notario suo alapam delit, qui mox ad pedes eius cadens expiravit. Item dedit nepotem suum Asterio confuli filium mulieris viduac: *quo casu faciente, fecit eum teneri nocte et tamdiu caedi, quandiu vitam finiret.* Sed haec ultra X annos post Siluerii obitum, si mato iam Vigilii imperio, contigerunt. Eum vero talia temporibus antecessorum Siluerii perpetrasse, cum ex silentio scriptorum resellitur, tum ex eo, quod nullus homicida, nullus miles, qui forte praelio interfuerat, saluis ecclesiae legibus, in iacerdotium allegi poterat. Deinde id quidem verum est, eum temporibus Bonifacii designatum fuisse successorem, sed ab ipso Bonifacio sciente et volente, 40) neque tamen repressus est a senatus amplissimi iustitia, sed ipse Bonifacius sponte decretum recidit. Num igitur dixerit Siluerius, Bonifacium, in cuius pectore omne ius fasque residebat, contra iura canonica fecisse quicquam,

B 2

ac

38) TURRIANVS libris IV extremis aduersus Magdeburgenses, et CARD. AGVIRE in apparatu ad concilia Hispanias Tom. I. disp. IV. p. 69. seqq. 39) In vita Vigilii p. 151.

40) ANASTASIVS p. 127.

ac tali quidem in re , ab qua interrupta ac legitima tot praesulum successio pendebat ? Occurrunt etiam in hac epistola phrasēs plane nihil significantes , utpote : *prudentia pastorali tua exserranda auspicia debebant detruncari . Et tempora mea niteris inuadere . Et item : ego Siluerius ad omnia statuta praebebis consensum subscriptus . Quaenam haec sunt statuta ?* num sacro sancta pontificis maiestas consensum tantum praebebat statutis , ac veluti pedarius in alterius sententiam currit , nec potius ipsa , sua auctoritate , leges sancit , aliis approbadas ? Porro quid sibi volunt tempora illa , quae Vigilius inuasit , quid auspicia detruncanda ? Praeterea epistolae isti subscripte-  
runt episcopi quatuor Campani , Terracinensis , Fundanus , Firmanus ac Minturnensis . Verum enim vero admodum verisimile est , hisce temporibus nullum plane episcopum Minturnensem fuisse , cum ecclesia haec bellorum iniuria funditus excisa ac desolata esset , teste Gregorio M. 41) Quanquam enim huius aetas a temporibus Siluerii 50. annis absit , non tamen interea bellum ullum eo loco gestum est , quo ciuitas ista funditus deleri potuerit . Multis etiam suspectum videtur , quod plurimae phrasēs in hac epistola occur-  
rant ex aliis auctoribus surreptae et compilatae , speciatim ex epistola VI. Feliciis III. aduersus Acacium , 42) quae ipsa sublestae fidei esse putatur . Satis haec ; alia falsitatis signa omitto . Ut ut enim iam Gratianus eam , tanquam ab Siluerio exaratum , laudet , et testimonii instar in iure canonico usurpet , 43) viri tamen eruditī ac perspicaces , rationibus multis moti , eam veluti inuenustum peccatoris istius foetum explodendam esse censem , utpote Blondellus 44) quem sequuntur Labbeus , du Pin , Pagi , Nat. Alexander , Harduinus 45) quibus tamen immerito ipsum Binium , quamvis demirans , an numerat Caeveus 46) : contrarium enim satis pater , cum ex locis supra no-  
tatis , tum vel ex eo solum , quod Baronius eam epistolam non spernit .

§. V. Praeter hanc autem epistolam Isidorus etiam aliam commentus est , nomine eiusdem Siluerii ad Amatorem episcopum , quem Baronius suspi-  
catur esse Augustodunensem , Pagi autem ostendit , tum nullum fuisse hoc no-  
mine usum . In ea copiosius adhuc de anathemate aduersus Vigilium expo-  
nitur ,

41) Lib. I Epist. VIII , quae extat apud Labbeum Tom. V. pag. 1033. Videatur NIC. COLETI Appendix seu Tomus X. Vgelli Italiae sacrae pag. 98. et pag. 149.  
42) Quae extat Tomo IV. Concil. pag. 1073. 43) Decrictorum P. II. cap. 23. qu. 4. num. 30. 44) In P. studioro Sapiente p. 604. 45) LABB. Tom. V. p. 291.  
PIN supra p. 69. PAGI p. 566. §. 3. ALEX. Sec. VI. c. 2. p. 377. HARD. Conciliorum  
Tom. II. p. 1421. 46) H. B. liti. p. 335.

105.

nitur, commemoratur enim, quo pacto is, de sede sua detrusus, *cum episcopis*, quos congregare potuerit, eos, qui talia erga se eggerant, anathematizauerit, in eoque concilio sanctorum patrum decreta roborans, flatuerit, nec falsos, nec ini-micos, aut suspectos accusatores vel testes unquam super episcopos suscipi debere. At vero tota huius epistolae structura, quamvis stilo utatur aliquantis per meliore, facilime fallaciam prodit. Dicitur data esse IX. Kal. Decembr. Iustini-anio quintum ac Bellisario Coss. Iustinianus autem consulatum quintum nunquam iniit, nec unquam habuit collegam Belisarium. Deinde phrases multae ex Anastasio bibl. et Gregorio M. auctoribus multo recentioribus, sublectae, aperte nouitatem argunt. Vnde ipse Baronius 47), at quantus nugarum patronus! eam suppositam esse arbitratur, nullo tamen argumen-to fultus, quin pariter priori epistola conueniat. Georg. Ios. ab Eggis quidem alias adhuc epistolas nomine Siluerii scriptas memorat, quae praecipuorum scriptorum calculo fictitiae reputentur. Sed ubinam tales extent, ipse forsan nescit. Idem porro, Fertur, inquit, etiam Siluerius scripsiisse doctrinam apologiam de iniusta sua depositione aduersus Theodoram et Vigilium intrusum, eorumque complices et factores, in qua non propriam, sed publicam ecclesiae iniuriam ultus est. At vero nemo unquam de apologia hac mentionem iniecit, quae primum in Eggis cerebro nata esse videretur. Eum autem puto deceptum loco Gratiani (in iure canonico supra num. 30.) male in-tellexi, ubi reficerit ad epistolam Pseudosiluerii fulminatricem, qua dicitur non sicut sed ecclesiae ultus fuisse iniuriam. Ex his verbis Eggis apolo-giam quandam finxit. His igitur fundamentis nititur narratio Baronii de concilio isto Siluerii, in quo execrationis sententia contra Vigilium pronun-tia fuerit. Quocirca iudicari potest, quid de ea statuendum sit.

§. VI. Praeterea ipsa fabula, ab Isidoro parum ingeniose excogitata, parum prudenter exulta est, quandoquidem sine ulla veri specie tale concilium in carcere habitum fingitur. Carcerem quidem scimus aliquando eruditis praeibusse museum ab interuentoribus vacuum, quod Caspar Peucerus tam suo exemplo, quam historia careerum scripta comprobatur, et B. Wolffius erudita dissertatione 48), quam inscripsit: *Carcer eruditorum museum;* eundem vero locum esse congregando episcoporum concilio opportunum forsan ex solo Siluerii exemplo discendum erit. Quid enim, verosimile videtur, eum, vinculis onustum, synodos potuisse indicere, sanctiones ecclesia-s

47) Anno 539. §. 6. p. 43L. 48) Habita Wittebergae 1710.

sticas condere, atque in eum, cuius potestati suberat, exsecrationis fulmen vibrare? Equis inter episcopos conuocatos fistula, tanquam Mercuriali, tam dulce canere potuerit, ut fecerit custodum vigiles omnes

*Succubuisse oculos adopertaque lunina somno,*

quo minus aditum adituri praeclusserint? Quis putare posset, Vigilium tam negligenter fuisse, ut hosti, saepe molesto, libertatem concesserit amicos ad se arcessendi? Non sane mihi persuaderi patiar, misero Siluerio tantum animi, tantum virium, tantum vigoris in carcere squalore et summa rerum omnium inopia superfluisse, ut vindictam, de hoste sumendam, cogitare potuerit. Eum enim detruserat hostis non ad campos Elysius aut insulas beatorum, sed ad insulas Pontias,

*ut tristes sine sole domos, loca turbida, adiret,*

*ubi luctus et ultrices posuere cubilia curae,*

*et metus et maleficiata fames et turpis egestas,*

*(terribiles visu formae,) lethumque laborque,*

id est, ut verbis utar Anafasii, ubi is pane tribulationis et aqua angustiae fluentabatur: in tales insulas, ubi tristes imagines multorum, eadem loca olim habitantium, occurserant, ubi memoria Domitillae ac Neronis Germanici, ibidem fame quondam enecti, sine dubio, grauis erat. Tali in loco, hac vitae conditione, quis eum tam ferocem, tamque iracundum esse potuisse credat, ut papali auctoritate Vigilium iam potentem deuouerit? Ne quis autem putet, concilium istud a Siluerio adhuc Patarae in exilio, forte aliquantis per tolerabiliori, fuisse congregatum, quod a Celebr. Caneo 49) fidenter affirmatur, Baronius 50) id in insula Pentia seu Palmaria factum esse diserte scribit, ac sine dubio mentem Isidori probe assequitur, quippe qui circa IV. episcopos Campaniae, insulis Pontiis finitimas, subscriptissime singit. Isto autem supposito, Asiani episcopi subscriptissent. Namque ut Itali forsan profecti fuerint Pataram, fieri debuisset cum voluntate primatis seu metropolitani, adeoque Vigilii, cum nulli episcopo peregre proficisci licuerit, sine metropolitani sui consensu. His igitur alias rationibus duci prudentiores ipsorum pontificiorum, ut Anton. Pagi et du Pin, hanc fabulam rident, atque ex vera historia expungendam existimant: neque huendum, quantum mihi quidem constat, ullus ex omnibus conciliorum editoribus inventus est, qui concilium quoddam Siluerianum aut Pontianum enarrauerit. Quapropter relinquenda sunt hae nugae Baronio, et qui ipsi assentire cupiunt.

§. VII.

49) Supra p. 333. 50) Anno 539. §. 1.

1057

§. VII. Non autem arbitror, pontificios aegre laturos, me hac ratione eminentissimo Cardinali contradicere, istamque fabulam, tam lepide ab eo expolitam, explodere conari. Ipsi enim sare magno liberantur periculo, quod successioni Romanorum pontificum, tantopere ab ipsis iactatae, ex Baronii opinione imminere videtur. Hic enim credit, § 1) illo discriminis gratius inueniri nunquam, nec periculum manifestius, sub quo fuerit Romana ecclesia constituta. Idque verissimum est. Namque, si uterque, tam Siluerius, quam Vigilius legitimi fuerunt pontifices, quod nemo ipsorum negat, alias enim successio perpetua, neque unquam interrupta valde vacillaret, dubium sane est, uter horum vicarius Christi eo tempore fuerit, quo Siluerius adhuc viuus extra urbem exulare cogebatur, et num forsitan ecclesia sine visibili capite substiterit. Quodsi Siluerius, licet urbe expulsus, propterea non dimisit officium suum, ut in epistola ad Amatorem affirmatur, adeoque hostem cum omnibus sociis ejus deuouere potuit, quod asserunt Pontificii, nunquam vero deuotionis huius sententia a concilio quodam aut ab ipso Siluerio sublata ac reuocata fuit, sequitur prono nexus, Vigilium, tanquam diris deuorum et papali potestate et coetu Christianorum cum omnibus ecclesiis suis turpiter extrusum, nunquam ad summum dignitatis gradum prouehi potuisse et visibile ecclesiae caput fieri. Namque si postea in ecclesiam recipi volui et resacrarci, necesse habuit, ut publicam ageret poenitentiam; hominem vero publicae quondam poenitentiae submissum leges verabant, § 2) unquam in facerdotum collegium aut cooptari aut recipi. Iam Vigilius, ex sententiâ Baronii, nihilosecias, contentis legibus, potentia Belisarii, consentientibus solum facerdotibus, fine praeuia poenitentia, non solum in ecclesiam, sed et in summum honoris gradum restitutus fuit, quare legitimus papa nullo modo dici potest. Auctoritate enim solius collegii facerdotum Romanorum ab execratione liberari non potuit, sed ea perpetuo constrictus mansit cum omnibus sociis suis. Inter quos cum se numerent hodierni pontifices, dum se successores vendiant, sequitur eos cum vniuersa cleri Romani turba nostris etiam temporibus vinculo anathematis Silveriano teneri. § 3) Quamobrem omnes, quibus legitima et continens, si diis placet, pontificium successio in fede Petrina, curiae cordique est, sincere rogo, ut Baronium, qui tam periculoso laqueos tendit, proutinus relinquant, eiusque fabulas aspernentur.

51) Supra §. 8 p. 432.

52) Vid. IOS. BINGHAMI *Origin. Ecclesiast.* lib. IV. c. 3. p. 123. et lib. XVII. c. 3. §. 9.53) Talem conclusionem inde elicit H. G. MASIVS in *Dissertationibus Academicis*, quae referuntur in *Actis Eruditorum Germanicis* Parte LXVI. p. 392.







hannover, Diss., 1739 (1).

ULB Halle  
003 700 429

3



SB

v7n8



B.I.G.

Farbkarte #13



DISSERTATIO HISTORICA

QVA

D E S I L V E R I O

ET

VIGILIO PP. MM.

1739

ET POTISSIMVM

ILLIVS IN HVNC LATO ANATHEMATE  
NARRATIONES QVASDAM BARONII

*Ober*  
Von denen Fäbsten Silverio und  
Vigilio, insonderheit von jenes Bann-Fluch  
wider diesen.

IN ACADEMIA WITTEBERGENSI

DIE SEPTEMBRIS A. G. R. M D CC XXXIX

H. L. Q. C.

EXAMINANDAS PROPOVNNT

M. GOTTLIEB VVERNSDORFFIVS

WITTEBERGENSIS

ET

IOANNES GVILIELMVS BORSAM  
SERVESTA ANHALT.

WITTEBERGAE

IN OFFICINA TZSCHIEDRICHIANA EXCVSA.